CONCLVSIONES
SCOLASTICÆ

REVERENDO ADMODVM PATRI

IO: ANTONIO PANCERI

Sacræ Thæologiæ eximio Doctori, sapientissimo Magistro, necnon Provinciæ Lombardiæ meritissimo Provinciali, & Ordinis Secretario dicatæ.

Publicè propugnandæ in Comitijs Provincialibus Carmelitarum Tusciæ celebrandis in Conventu Florentiæ à F. IO: IACOBO TROMBETTI Conventus Pisarum alumno, & inter Thæologiæ incumbentes minimo Lectore, assistente P. Bacc. DOMINICO BARTHOLOMÆI Collegij S. Theresiæ Conventus Pisarum Regente. Anno 1696. Mense Oct. Die Hora

LUCÆ Typis Marescandoli (1696.) Superiorum permissu.

A. R. P.

AVdacem fortasse dixeris Thæologiam meam A. R. P., quæ vix salutatis cunabulis, effero bellandi concita spiritu in arenam descendat, castra disponat. Temerarium quidem fuit, ut fateat pueriles vagitus Martis Clamoribus nimium dispari maritare contubernio, & imbelles infantiæ fascias in vexilla Terroris expandere. Verum tunc temeritatis vitio peccassent Theses meæ, si propria imbecillitate fortes, & animosæ nullo adiutæ patrocinio galeam induissent, frustra sperantes renovandos in ætatis exordio Heracleos Triumphos: ubi ex adverso comendandus magis, quam condemnandus reor, dum tui

nominis amplitudine roboratæ in Agone ſiſtunt, ut prælienti, immò ut vincant ante conflictum; Sub tuo etenim numine Cæſarianum ſibi iurè merito auſpicari poſſunt Encomium. Et revera aptiorem quamdam ſortiri valuere tutellam, cum in plurium annorum curriculo Athleta fortiſſimus Thæologico in pulvere acriter dimicaveris, tot Palmas transferens in Carmelum, ut ipſum prodigioſa metamorphoſi mutaſſe videaris in cades. Teſtantur id Mediolanenſes Academiæ victorijs tuis ad huc feſtiva voce plaudentes. Teſtantur Gordiana difficultatum implicamenta quæ vel Alexandro Maior ſolviſti, vel ipſi par ſubtiliſsima intellectus tui Acie recidiſti. Quapropter aut meercule neceſſario tibi dicanda erat Theologia hæc noſtra, aut neceſsariò in primo belli fervore tamquam inermis deſtituenda. Adde inſuper obſequium erga te meum ut id exequereo ſuaſiſſe; cum nempe tot vinculis, & humanitati, & doctrinæ tuæ ſim obſtrictus, hos præcoces ſudores quin ſibi tribuerem haud poteram, quandoquidem non ignorant & ipſa flumina undarum tributa ferre Neptuno à quò propriam fluctuum exuberantiam agnoſcunt, Quando verò nequeam niſi fructibus, ut ita dicam, tuis tanta beneficia rependere, hoc, & benignitati tuæ nimis large permittenti, & impotentiæ meæ maiores neganti conatus adſcribas. vale.

DE SACRA DOCTRINA.

I Thæologia noſtra eſt habitus Concluſionum deductus ex principijs Fidei, vel eſt Logica, quæ applicatur ab intellectu ad inferendas concluſiones ex principijs à Deo revelatis: unde ſecundum illam partem ſecundum quam eſt mera Locica eſt verè, & propriè Scientia, ſecundum aliam partem, quæ eſt Logica applicata tali obiecto ſcilicet propoſitionibus obſcuris eſt aliquo modo propter ſuam dignitatem Scientia partim practica, & partim ſpeculativa non ſubalternata verè, & rigorosè alteri Scientiæ, ſed tantum Divinæ Fidei,

II Obiectum materiale noſtræ Theologiæ eſt omne id, circa quod ipſa verſatur: obiectum vero formale quod, eſt ipſa Deitas, ut eſt natura Divina à parte rei phiſicè exiſtens, & pro obiecto formali quo, eiuſdem aſſignatur revelatio Divina, ut applicata per diſcurſum.

III Facta revelatione a Deo cum evidentia inatteſtante de aliquo principio Fidei; tamèn non habetur ex motivo intrinſeco rigorosè ſcientia de illo, ſed tantum ex motivo Extrinſeco,& quamvis Thæologia Scolaſtica ſit extrinſecè ſupernaturalis, & ſupponat habitum Fidei, non per hoc infertur non eſſe habitum diſtinctum a Fide, & entitaivè naturalem:

IV Si Vir doctus negaret Concluſionem Theologicam deductam ab una præmiſſa de Fide, & altera naturali, eſſet reputativè Hæreticus: Si vero negaret aliam deductã ex ambabus præmiſſis revelatis eſſet formalitèrHæreticus; non per hoc illa Concluſio Thæologica eſſet diverſę ſpeciei ab altera pendente à duabus præmiſſis de Fide.

V Toti Congregationi Fidelium eſt verè neceſſaria noſtra Thæologia, non vero cuilibet fidelium, ut habet pro ſuis

principijs omnes regulas Fidei; sed ea quæ pertinent ad puram historiam, & ea ex quibus secundum sensum licteralem sequitur aliquod absurdum, non sunt de Fide, unde recursus haberi debet, sivè ad sensum misticum, sivè allegoricum, sive tropologicum, sivè anagocicum.

De Natuura, & Attributis Dei.

I DEVS EST, est propositio per se nota secundum se, & etiam quo ad nos: dummodo nomine Dei veniat in confuso aliquod Numen colendum, imò evidentèr a posteriori demonstrari potest dari Deum sub ratione Causæ primæ, Entis à se &c. & esse unum, cuius costitutivvm metaphisicum est esse ens à se.

II Attributa Divina licèt sint perfectiones absolutæ positivæ conceptæ, ut emanantes ab essentia Dei; tamen illa, quæ dicuntur non trascendentia admittunt in se, & cum essentia Divina comparata distinctionem virtualem, ab illis vero quæ transcendentia sunt reijcitur talis distinctio; sicuti negatur in Divinis inter essentiam, & existentiam.

III Deus est ubique per essentiam, potentiam, & præsentiam; sed quia est id quo melius excogitari non potest, & ens perfettissimum, præcisa Fide demonstratur evidenti argumento esse infinitum, & naturali ratione esse immensum, ratione cuius immensitatis est actu esse ubique, non ideò est in spatio imaginario, quod positive non datur, sed Deus extra Cælos in se ipso existit.

IV Perfectio simplicitèr simplex, quæ licèt sit formalis in Deo, tamèn rigorosè loquendo non continetur in ipso, est illa quæ in suo conceptu essentiali nullam involvit imperfectionem, perfectio vero secundum quid, quia aliquam dicit sibi admistam imperfectionem; ideò tantum virtualitèr, & eminentèr sine imperfectione reperitur in Deo.

DE

De Visione Beata.

I NOmine Visionis Beatæ intelligitur actus Spiritualis essentialitèr supernaturalis potentiæ intellectivæ creatæ, quo clare attingitur obiectum Dei, cuius posibilitas evidenter demonstratur tum negativè, tum positivè, imò beatitudo formalis essentialiter consistit in actu cognitionis claræ, & intuitivæ Dei, & in actu amoris gaudij, seu fruitionis eiusdem.

II Etiamsi si sit omninò inintelligibile dari visionem Dei, quæ non sit expresio eiusdem; tamen visiones Beatorum sunt inter se inæquales, & gradualitèr differunt. Sed inæqualitas proximè, & immediatè oritur à Lumine, non vero à maiori, vel minori perfectione entitativa intellectuum.

III De facto si nullus intellectus creatus solis naturæ viribus videt intuitivè Deum, neque divinitus posit absque auxilio sibi intrinseco, quamvis ipsi Deus extrinsecè asistat elicere claram Dei visionem; tamen de potentia absoluta Dei non repugnat intellectus supernaturalis quo ad substantiam, qui posit proprijs viribus Deum videre, quæ substantia esset supernaturalis, quia excederet vires & exigentiam cuiuscunque naturæ creatæ, & creabilis.

IV Compræhensio est cognitio, per quam quidditas obiecti repræsentatur quantum repræsentabilis est, adeoque, neque datur, neque dari potest intellectus creatus, qui posit Deum compræhendere, neque oculus corporeus, qui divinitus elevetur ad videndum Deum.

V Vt intellectus reddatur capax recipiendi, sivè producendi visionem Beatam, lumen non concurrit, ut dispositio, neque ut conditio, neque ut tota ratio agendi, sed respectu intellectus est qualitas informans, elevans, & reddens illum constitutum in actu primo perfecto, & completo vi-

dendi, itaut intellectus, & lumen concurrant ut duæ causæ partiales æquè principales, & immediatè ad visionem Dei.

VI Species impressa Dei in intellectu Beati de facto non datur, quamvis non repugnet divinitus dari: Sic etiam visiò Beatifica nequit esse præcisiva ex parte obiecti, adeo que ex omnibus Dei prædicatis non possunt aliqua, vel saltem uno Beato occultari.

VII Nulla est implicantia posse Beatum videre in Deo clarè, & distinctè omnia possibilia, & Creaturas futuras, præteritas, & actuales; & quia Deus non potest cessare à concursu obiectivo visionis Beatæ, supposito decreto à se facto beandi, infertur visionem Beatam esse de sua natura indextruibilem, & indefectibilem.

VIII Deus de facto concessit visionem beatam aliquibus viatoribus per modum permanentis, ut Animæ Christi Domini, & Beatæ Virgini, & per modum transeuntis pluribus ex Prophetis, sed nostro Protoparenti Eliæ nunc communicata est per modnm qualitatis permanentis. Habitus scientificè acquisiti in via, adhuc in Patria perseverant; non vero habitus probabiles, & opinativi, neque habitus fidei, & Spei. Sed Charitatis, Prudentiæ, Fortitudinis, &c.

De Scientia Dei.

I DEVM esse Scientem est veritas nota nedum lumine Fidei, verum & evidentia naturali, quæ scientia vure infertur ex immaterialitate Dei, de cuius potentia absoluta dari potest substantia spiritualis non intellectiva. Principium divinarum operationum non solum est voluntas, sed etiã intellectus, qui suamet intellectione, & non per modum potentiæ est constitutivvm Divinæ Naturæ.

II Scientia Dei licet phisicè, & realitèr sit una, & simplicissima, tamen prout attingit possibilia vocatur simplicis intelligentiæ, prout cognoscit existentia in quacumque determinata differentia temporis dicitur visionis, & prout terminatur ad futura conditionata conditionalis, seu media nuncupatur. In se ipso cognoscit Deus possibilia, non vero in se ipsis ut quid extra Deum per cognitionem, quę ad nullum aliud obiectum sit directa, nisi ad sua possibilia in se ipsis quando ipsa, & secundum esse intrinsecum attinguntur.

III Deus possibilia non cognoscit tanquam in medio quo, neque ut obiectum motivum suæ cognitionis, neque in sua essentia tanquam in speculc rigorosè sumpto, sed illa in se ipso cognoscit tanquam in medio quod, non prius cognito, etiam loquendo cum fundamento in re de prioritate rationis, licèt à Deo cognoscantur in essentia sua tanquam in medio quod, prius cognito prioritate naturæ, scilicèt dependentiæ, & etiam tanquam in causa.

IV. Divina Idea est eiusdem Dei Essentia, ut participabilis à Creaturis, non vero Creatura potens partecipare essentiam Divinam, & de omnibus creaturis, quæ à Deo suut producibiles, in ipso datur Idea, quæ licèt sit una formaliter, & multiplex terminativè, tamen a Deo cognoscuntur possibilia in sua essentia, tanquam in Idea; a Beatis autem non videtur essentia Divina, ut representans omnia possibilia, sed tantum obscurè.

V. Scientia Dei sub formalitate simplicis intelligentiæ est causa rerum, non vero sub formalitate visionis. Deus cognoscit malum naturæ, & malum pœne, eo modo, quo cognoscit cætera possibilia; malum autem culpæ, & Chimera non cognoscitur à Deo tanquam in Causa, vel tanquam in Idea, sed tanquam in medio continente Causam peccati; privationes autem, negatio nesque non cognoscuntur immediatè, & directè, sed in formis oppositis, & Entia rationis non Chimerica, ut alius Deus repugnans,

eo.

cognoſcuntur à Deo tantum æquivalenter.

VI. Futura alia ſunt neceſſaria, alia libera reſpectu Dei omnia ſunt libera; Inſuper alia ſunt abſoluta, alia conditionata, de quibus alia dependent tantum à Deo, alia tantum à Creatura, & alia à Creatura, & à Deo, quæ omnia futura quodcumque illud ſit naturali ratione demoſtratur quòd cognoſcnntur à Deo.

VII. Loquendo de futuris, quæ tantum a Deo dependent ſuam futuritionem acquirunt per decretum abſolutum abſque ulla prævisione diſtincta à ſimplici intelligentia; ſi vero ſermo eſſet de futuris, quæ ſimul dependent à Deo, & à creaturis, ut ſunt actus liberi non peccaminoſi, ſuam futuritionem habent ex vi decreti Dei de concurrendo cum Cauſa ſecunda, non vero ex vi decreti antecedentis, vel concomitantis, vel ſubſequdntis, & omia iſta futura cognoſcuntur in ſe ipſo tanquam in Cauſa, non vero in ſe ipſis.

VIII. Futura, conditionata, neceſſaria, libera, Contingentia, pertinentia, & impertinentia evidenter cognoſcuntur à Deo in ſe ipſo poſt decretum conditionatum per ſcientiam mediam virtualiter diſtinctam à Scientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis.

IX. Omnia futura abſoluta, & omnia præterita (de preſentibus enim non eſt difficultas) praſcindendo à tempore extrinſeco, ſunt Phiſicè realiter præſentia æternitati Divinæ. Obiectum adequatum intellectus Divini eſt omne ſcibile, obiectum verò primarium eſt totus Deus, ſecundarium autem omnes Creaturæ, non vero chimera, impoſſibilia, negationes, & privationes. Deus ſe ipſum non cognoſcit in creaturis eo modo, quo per diſcurſum ipſum cognoſcimus. Poteſt dari non ſolum de potentia Dei abſoluta Creatura omnis ſciens per aliquod donum gratiarum, ſed etiam quod ex natura ſua virtutem habeat omnia infallibiliter cognoſcendi.

De Altissimo Trinitatis Mysterio.

I. Dantur in Divinis veræ, & reales processiones, quæ ex parte termini tantum duo realiter distinctæ enumerantur, & licet evidenti ratione demostrari non possit eas immediate haberi ab intellectu, & voluntate, & non formaliter, & proxime à natura, tamen ex Sacra Scriptura convinci potest.

II Dicere, & spirare, qui sunt actus, quibus procedunt personæ in Divinis sunt idem realiter, & formaliter, cum intelligere, & velle essentialiter, & tantum virtualiter distinguntur, sed Intellectus Patris æterni ut actu dicens, & voluntas Divini Genitoris, & Filij, ut actu spirans habent in concreto rationem principij quo proximi Divinarum processionum; in abstracto vero huiusmodi actus habent rationem actionis licet verè, & realiter actiones non sint; relationes verò Paternitatis, & spirationis activę requiruntur tantum, ut conditiones in ordine ad processiones Divinas, quæ inter se differunt specie, non secundum naturam, sed secundum proprietates personales. Processio Verbi Divini dicitur generatio, non autem illa Spiritus Sancti.

III In Deo dantur relationes transcendentales, quæ sunt reales, & dicunt perfectionem tum secundum esse in, tum secundum esse *ad*, quæ quidem numerantur quatuor in se realiter distinctæ; Relatio vero spirationis activæ, quamvis realiter distinguatur a spiratione passiva, tamen à paternitate, & Filiatione tantum virtualiter est distinta.

IV Conceptus præcisus Divinæ essentiæ Metaphisicè non includit relationes, neque conceptus relationum divinam essentiam; at verè à parte rei relationes sunt de quidditate naturæ Divinæ, & è contra, essentia verò Divina comparata, sive ad relationes, sive ad attributa nulla ab illis di-

distinctionem reali, & attuali; sive Phisyca, sive ex natura rei distinguitur, sed tantum virtualiter.

V Perfectio relativa in Divinis est triplex, & quelibet illarum relationum existit per existentiam relativam virtualiter distinctam ab existentia absoluta divinæ naturę, quæ non tantum existit, sed etiam ex se independenter ab illis subsistit subsistentia absoluta, licet dentur tres subsistentiæ relativæ inter se realiter distinctæ, & virtualiter à divina essentia.

VI Persona in Communi abstrhait à Creata, & in creata, neque significat quid relatiuum, neque quid absolutum, sed tantum ens subsistens in natura rationali; si verò clarè accipiatur ratio personæ, aliæ sunt illæ, quæ significant formaliter per se primo quid relatiuum ut Divinæ, & aliæ quid absolutum, ut creatæ; proprietates verò personales relativæ ut trascendentales, sunt constitutivæ, & distintivæ Divinarum personarum.

VII In Hoc altissimo misterio adhibenda sunt ea nomina, quæ unitatem Naturæ, & Divinitatem personarum significant, ideò nomina generis neutri non sunt prædicanda pluraliter in Divinis bene tamen nomina generis Masculini, vel Feminini, neque debent uti nominibus, quæ significant diversitatem, vel confusionem personarum, sed illisquæ consortium, & distintionem personarum important; Neque dictio esclusiva potest adiungi personę Divinæ respectu prædicati essentialis, sed solum cum subiecto personali.

VII Quamvis Misterium Trinitatis lumine naturali cognosci clarè nequeat; non nego tamen per Divinam revelationem, etiam cum evidentia inatestante posse haberi claram cognitionem einsdem.

IX Notiones obiectivæ quæ dantur in Deo sunt tantum quinque scilicet. Innascibilitas, & Paternitas in Patre, Filiatio in Filio, Spiratio activa in Patre, & Filio, & Spiratio passiva in Spiritu Sancto; Licèt omnis proprietas perso-

sonalis potest esse proprietas personæ, ut est perfectio conveniens vni personæ, & non aliæ, undè un i, & eadem res in divinis, ut est Filiatio, potest esse relatio, proprietas personalis, proprietas personæ, & notio; differunt tamen inter se notiones, actus notionales, & origines.

X Esse ingenitum competit Patri Æterno, & importat non solum formaliter primario quid positiuum; sed etiam formaliter secundariò quid negatiuum; quàm vis sit principium, & auctor dicatur Filij Divini, & non causa, & initium illius; tamen est principium totius deitatis, ut communicans omni modo communicabili ipsam Deitatem alijs Personis, & totius Trinitatis, quia est principium producendi alias Personas.

XI Verbum in Divinis est tantum nomen personale, immò proprium secundæ personæ, & dicit respectum rationis ad Creaturas ratione solius essentiæ, posita tamen personalitate, seù relatione tanquam conditione sine *qua non*; hoc verbum primario significat relationem producti, secundario naturam, & procedit per se non solum ex cognitione Divinæ essentiæ, attributorum, omnium personarum, & ex cognitione spiritus, ut existentis in posteriori signo; sed etiam omnium possibilium; non verò ex futurorum, & existentium cognitione, quæ videt Deus scientia visionis.

XII Solus Filius est perfectissima immago naturalis Patris æterni non autē Spiritus Sanctus; nomen productus Santus ut dicit spirationem passivam est nomen personale proprium solius tertiæ personæ; quæ procedit tum a Patre, tum a Filio, a quibus per se petit esse, & licet sint unus sperator, tamen amant se, & diligunt creaturas Spiritu Sancto qui propriè, & formaliter ex vi suæ processionis, ut amor donantis dicitur Donum; immò si per impossibile tantum procederet a Patre, non distingueretur à Filio.

XIII Actus notionales activi, qui sunt dicere patris, & amare patris, & Filij in Divinis identificantur cum principijs; actus vero notionales passivi scilicet generari, &

spirari

ſpirari identificantur cum terminis. Filius Divinus eſt de ſubſtantia Patris, Voluntas generandi eſt poſteriori ipſa generatione, & illa ſpirandi eſt aliquo modo prior ipſa ſpiratione; actus vero notionales, quo procedit Spiritus Sanctus eſt amor totius Trinitatis attributorum, & poſſibilium.

XIV Miſſio dè formali dicit ipſam manifeſtationem temporalem, & preſuppoſitivè proceſſionem paſſivam originis perſonę Miſſæ quæ Miſſio in Divinis negari non poteſt & quamvis negari debeat unam perſonam ab alia non procedentem poſſe mitti ab illa, vel a ſe ipſa, tamen concedi debet aliquam perſonam Divinam poſſe mitti ſine aliquo dono creato in illis quibns mittitur.

De admirabili Myſterio Incarnationis Verbi Divini.

I INcarnationis poſſibilitas præcisa Fide poteſt evidenter negativè, non autem poſitivè demonſtrari, ſed ſuppoſita Divina revelatione poteſt evidentèr poſitivè hoc myſterium cognoſci, ſicuti per viſionem beatificam idem cognoſcunt Beati, & quilibet cui infunderetur ſpecies ereata clarè repræſentativè huiusmodi,

II. Magis conveniens fuit naturæ humanæ, quàm Angelicæ propter redentionem Mundi ipſam aſſumi potius à Filio, quàm à Patre, & Spiritu Sancto, quæ Incarnatio nulla facta ſuppoſitione, & dummodò decretum non eſset de exigenda ſatisfactione de condignò non fuit humanitati, neque Deo neceſſaria.

III. Satisfactio, quæ eſt compenſatio voluntaria debiti honoris pro iniuria alicui irrogata, a puro homine quamvis in gratia nequit de condigno exiberi non ſolum pro peccatis generis humani; ſed neque pro ſuo originali, & peccato mortali, quod è intrinſecè, & ſimpliciter infinitum in

ra-

ratione offensæ; dè congruo vero tum pro suis, tum pro alienis peccatis mortalibus, & adæqualitatem pro venialibus; undè sola satisfactio Christi Domini fuit de condignò perfectissima, & superabbundans.

IV. Vnio hypostatica, quæ est realiter modaliter distincta ab extremis, est illa ratio, per quam Verbum Divinum in plenitudine temporis sub ratione termini unicum est formaliter cum humanitate, quæ unio est substantialis, & ex parte termini terminantis non solum est nobilior omnibus alijs unionibus, sed in ratione doni, est etiam maior Visione Beatifica, & gratia habituali.

V. Adam si adhuc non peccasset, Verbum incarnatum esset, ut glorificator, & meruisset nobis consecutionem gloriæ; Sed de factò venit ad delenda omnia peccata, & principalius originalia, quæ si sola extitissent, adhuc ut Redemptor venisset; non vero ex vi præsentis decreti pro venialibus, & actuali mortali.

VI. Humanitas Christi de factò non meruit, & impetravit unionem hypostaticam per opera antecedentia ipsam uni onem, sed hoc divinitus accidere poterat; Non verò p opera subsequentia ad unionem hypostaticam; Si Beat Virgo non meruit de condignò Maternitatem Dei, meru de congruo, licet divinitus potuisset etiam de condigno

VII. Solam personam Verbi incarnatam fuisse veritas est d Fide; undè Verbum Divinum præcisè, & formalite sumpsit humanitatem ratione suæ subsistentiæ rei non vero absolutè, ratione cuius repugnat assume , & terminare naturam Creatam.

VIII. Vna Persona Divina posset assumere naturam Creatam, etiam retenta propria personalitate; immò una, & eadem uatura Creata potest simul assumi à tribus Divinis Personis, & una persona Divina terminare plures naturas; absque eò quod in Christo habeatur unio naturarum per compositionem, sed si aliqua compositio reperitur in illo, est ratione subsistentiæ Verbi, & humanæ naturæ, quæ pote-

te-

terat à Verbo relinqui, & alia etiam irrationalis assumi.

IX. Christus præter sanctitatem, & scientiam increatam habuit etiam scientiam, & gratiam habitualem creatam, immò ab instanti suæ conceptionis adhuc scientiam beatificam, per quam videt omnes Creaturas existentes, diem Iudicij, & possibilia; in cuius Anima fuit infusa aliqua scientia sperimentalis, & acquisita propris actibus, per quos etiam cognoscebantur à Christo illa obiecta, quæ Ministerio intellectus cognosci possunt.

X. In Christo Domino nullum fuisse peccatum est de Fide; immò omninò impossibile est aliquod peccatum actuale, quantumvis levissimum ab illo committi, quia carebat Fomite peccati, ideò non debet negari voluntatem eius fuisse liberam.

XI. Ex unione Divinæ, & humanæ naturæ provenit in Christo communicatio idiomatum, dummodò non sequatur aliquod absurdum; non verò quia attributa divina sint realiter Communicata humanitati; quæ communicatio non potest fieri in abstracto, neque Christus potest dici principaliter Creatura, nec incipire esse;

F I N I S.